



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. IX. Ad inscriptionem c.9. de constitut. Et de deputato ad mensam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

Post alia, ad rem pertinentem. Usitata enim illis particulae sunt: *Post alia,* ut liquet ex Codice Theodosiano in inscriptione *L. 6. de cognit. L. 3. de feriis. l. 4. de delat. l. 2. de temp. curs. l. 1. de act.* Interdum etiam adhibent *avri rē.* Et *infra,* verba; *Inter caetera.* In Codice Justiniano, *L. 3. In quibus caus. pig.* Pars ex rescripto Alex. Aug. ad Demosthenem. Et in *l. 4. C. de quest.* Pars ex rescripto Antonini. Et alibi: *Pars ex epistola,* ut in *l. 13. de fidej. l. 6. de praesc. lon. tem.* Et in Pandectis: *Pars literarum,* ut *l. 38. de Judic.* Interdum *caput ex Rescripto,* ut *l. 1. ff. de interdic.* Vide Bart. ad *L. Galus. ff. de lib. & post. §. credendum. n. 5.*

CAP. IX.

Ad inscriptionem c. 9. de constitut.
Et de deputato ad mensam.

SUMMARI A.

- | | |
|-------------------------------|-------------------------|
| 1. Clugiensis Episcopus quis. | 5. Mensa bonorum quid. |
| 2. Clugia, Choggia. | 6. Communis mensa. |
| 3. Initium capituli. | 7. Historia miraculosa. |
| 4. Decretalis ubi exstet. | |

Clugiensis Episcopus quis. Clugia, Choggia.

Initium capituli. Decretalis ubi exstet. Mensa bonorum quid.

Innoentius III. hanc decretalem misit Clugiensi Episcopo: Quis ille? Legitur aliàs, Flugiensis, Dugiensis, sed nihili id est. Retinendus Clugiensis. Clugia, Choggia, vel Chioza, alias Claudia Fossa, civitas Ducatus Veneti, in quam translatus fuit Episcopatus à Malamocco, sede Ducum Venetorum, propter maris inundationes, cum iisdem privilegiis & jurisdictione Anno 1100. ut habet chronicon Venetum: Sed Franciscus Sansovinus in historia Venetâ hoc factum fuisse ait anno Christi 1009. Mentionem hujus insulae Clugiæ positæ in mari Adriatico facit Carolus Crassus, Imperator in quadam Epistola ad Venetos, ut refert Sansovinus, eamque Clugium nominat. Incipit capitulum: *Cum M. Ferrariensis.* litera M. Martinum representat, quod habetur apud Innocentium III. *lib. 1. Epist. 98.* Exstat hæc decretalis integra in Compilatione III. c. 5. Fit autem in hoc capitulo mentio mensæ bonorum. Olim Clerici Ecclesiarum communi mensam frue-

fruebantur. *can. In omnibus de Consecr. dist. 5. c. quoniam. Infra de vitâ & hon. cler. can. præter hoc. §. præcipientes. dist. 32. Idem in conc. Tolet. IV. c. 24. in c. omnis ætas caus. 12. q. 1. eodemque loco dormiebant. Sed posterioribus seculis solutâ communione vitæ, ubi præbendæ distributæ inter clericos, pars certa reddituum in commune relicta, quæ pars communis mensa dicta est, imago scilicet pristinæ communionis. Hujusce instituti exemplum est, quod in transitu regii exercitus, devastatis segetibus in pago Ambiensis, cum quidam Canonici Ambiensis, qui fructus præbendarum suarum percipiebant his locis, quibus damnum illatum erat, peterent, ut fructus præbendarum refunderentur de communi, mandatum fuit ut collectis reliquiis fructuum qui remanserant, id quod deesset ad integrandas præbendas, de communi capitulo suppleretur. Collectis itaque fructibus non sine miraculo centuplum inventum fuisse, narrat Rigordus in gestis Philippi A. 1184.*

Communis mensa. Historia miraculosa.

CAP. X.

De communione Clericorum.

SUMMARI A.

- | | |
|---|---------------------------------------|
| 1. Apostolorum communio. | 5. Præbendæ, quomodo distribu- |
| 2. Tempore persecutionis desita. | ta. |
| 3. Christiani quando in cænobia collecti. | 6. Canonici mensæ. |
| 4. Benedictini, ordo antiquissimus. | 7. Mensa Pampilonensis Archiepiscopi. |

Diximus de communi Clericorum victu. Et quidem tempore Apostolorum omnia in commune conferebantur, & singulis, prout necessarium erat, distribuebatur. *Act. 2, 44. & 45. Et c. 6, v. 2.* Postea autem tempore persecutionum Christianis dispersis, & in cretum fugientibus, separatim vivere coeptum est; donec in cænobia collecti communem vitam denuò in usum revocarint, ut scribit Gregorius Nazianzenus in Monodiis. Exstat regula B. Basilii, & liber Philonis Judæi *ἡ βίβλος τῶν ἱερογρητῶν, ἢ ἡ κητερὸν ἀγερῶν*, de vitâ contemplatoriâ, aut de collectis.

Apostolorum communio. Tempore persecutionis desita. Christiani quando in cænobia collecti.